



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post  
Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem**

**Dévay Biró, Mátyás**

**[Nürnberg], [1537]**

**VD16 D 1300**

Condem. Censvrae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34195**

sed scriptura docet solam fidem esse nostram beatitudinem,  
Lucæ 1. Beata es quæ credidisti, Et Ioan. 20. Thoma uidisti  
& credidisti beatus es, sed beati qui non uiderunt & credide-  
runt. Petrus confitetur Christū filium esse Dei uiui, & audit  
a Christo: Beatus es Simon Bar Iona &c. Beati quorum re-  
missæ sunt iniquitates, atqui fide remittuntur iniquitates.  
Fide ergo beatificamur. Beatus uir, cui non imputabit do-  
minus peccatū. Et propter fidem, quæ nostra est beatitudo,  
non imputabitur peccatum. Ergo fide sumus beati, Paulus  
Rom. 4. Beatitudo una est, nempe fides, quibuscunq; tandē  
nominibus eam uocites, fructus seu effectus fidei multiplices.  
Et quis beatus, nisi cuius est dominus Deus eius, qui in hoc  
uno peccauerit, multa bona perdet, Ecclesiastes 9.

Lucæ. 1.  
Ioan. 20.

Roma. 4.

Ecclesiastes 9.

### PROPOSITIO XXIX.

**S**Ola infidelitas est peccatum mortale.

### CENSURA.

**H**Anc propositionem ignoras, altior ne sit an falsior et c.

### CONDEM. CENSURAE.

**P**eccati uetus partitio est, in mortale & ueniale. Sancti  
dupliciter peccant: Natura mortaliter, stipendium eū  
peccati mors, & Venialiter, quia eorum peccata ueniam me-  
rentur per Christum. Impij peccant tantum mortaliter, &  
ut beatitudo est una fides ipsa, ita peccatum mortale est  
unum, infidelitas ipsa. Marci ultimo. Ioan. 16. & 3. Et qui  
fuerit in hoc uno, erit omnium reus. Iacobus. In requiem nō  
introierunt propter incredulitatem, Hebræ. 3. & 4. Et ut be-  
atitudinis

Impij  
marci. ult.  
Ioan. 16. et 3.  
Hebræ. 3. et 4.

o



Galat. 5.

atitudinis effectus uarij sunt, sic & incredulitatis, Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis &c.

missas. precib.

Augustinus de uerbis domini, Serm. 40. Dominus & saluator noster, hoc unum peccatū dicit, de quo arguit mundum spiritus sanctus &c. hoc unum imputari uoluit, quo cetera colliguntur. Idem Ioannis 15. Hoc est enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata, quod unusquisq; si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata. Hoc est autem, quia non crediderunt in Christum, qui propterea uenit ut credatur in eum. Idem: Credant itaq; homines in Christum, ne arguantur de peccato infidelitatis suae, quo peccato omnia detinentur. Possem hic dicere ea, quae corrugarent Monachos, nares, omnia eorum opera sine fide facta, Missas, preces, murmur, mera esse peccata mortalia, quia non sunt contenti uno peccato mortali, quasi non sit satis efficax hoc unum ad eorum condemnationē, nisi sint plura. Nec uideo qui possit fieri, ut ex septem daemionibus, septem fiant peccata mortalia, cum per ea etiam ipse Gregorius uniuersa uitiorum genera intelligat. Proinde peccatum mortale, est dignū morte aeterna, atqui sola incredulitas est tale peccatum (qui non crediderit, iam condemnatus est) Ceterum quālibet peccauerit aliquis, si credit sua peccata remitti per Christum, saluatur.

#### PROPOSITIO XXX.

**C**ur soli fidei tribuitur iustificatio? quia Deus non alia ratione saluat te nisi fide.

#### CENSURA.

**A**B Orthodoxis non soli fidei tribuitur iustificatio, a Matthaeo uerbis, a Paulo factis, a Iacobo operibus. **Condemn.**